

2189



4

D. B. I

AVSPICIO RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

SERENISS. PRINCIPIS REGI

FRIDERICI AVGVSTI

DISSERTATIONE PRIORE

AINON A I C M A

PRAESIDE

IO. GVILELMO BERGERO

POES. PROF. PVBL

PRIDIE EIDVS FEBRVARIAS

A. R. - G

∞ 100 CVII

EXPONET

M. IO. ANDREAS CNOBLACH

VITEMBERGENSIS

VITEMBERGAE SAXONVM

PRELO GERDESIANO



AVVICINO RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISS. PRINCIPIS REGI
FRIDERICI AUGUSTI
DISSERTATIONE TR. RE

ALINON A-CMA

PRÆSIDIO
IO. GUILIELMO BERGERO

POET. PROF. PUBL.

PAULI F. D. S. TERRACINAE

A. P. D.

MDCCCLXXII

FRYD. VIT.

M. IO. ANDREAS OSOBLACH

VITIMBERGENSIS

VITIMBERGENSIS LIBRARIUS

FRYD. VIT.

Aeschylus Agamemni. u. 123.

Αἰλινον, αἰλινον εἶπε, τὸ δ' εὔ νικάτω

I.

Quam tritum peruulgatumque gentium consuetudine, tam uetus est institutum, lugendi carmine mortuos, et celebrandi uersibus illorum memoriam, quos uel natura ceteris finxit praestantiores, uel ars atque industria longius a consortione uulgi remouit, uel meritorum magnitudo, constitutis et relictis uirtutum monumentis, ab obliuione uindicauit. Cuius generis complura cum uel extant, uel memorentur saltem, carmina: tum nullum fere uel antiquius, uel fama celebrius illo fuisse accepimus, quod ΛΙΝΟC uocatur. Quam uocem cum ab ipso Lini nomine, quod paullo post exponam, repetant ueteres: fieri solet, ut alii aliter, pro suo quisque captu, aestiment eam et scribant. Nam utroque modo scriptum uerbum praefereunt libri, alii Λίνος, alii Λῖνος. H. Stephanus τὸ λῖνον contrahi, sed τὸ λῖνος cum mora proferri, ait, cuius auctoritate multi sunt adducti, ut idem uerbum exararent προπερισπωμένως. At enim cum in τῷ λῖνον primam breuem faciant plurima poetarum exempla, longam tamen fecit Nicander

der Alexiph. u. 451. contra ea *linum*, spiritu magis producto, efferunt Latini. Sed cum τὸ Ἄζυον mora intendit Stephanus, falso prouocat ad auctoritatem Homeri, qui potius, festinato spiritu, incitatus extulit, pariter atque Hesiodus, et alii complures. A quibus non abeunt Latini, Maro, Ouidius, Martialis, et tot plures. Idem probatur Philippo Labbeo, qui eius rei caussa scriptorem Thesauri Graeci coarguit in libro, quem inscripsit Thesaurum Profod. Graeco Lat. p. 108. Alioqui non ignoramus illa *Φωνήεντα*, quorum rationem ancipitem esse uolunt Grammatici, sed uel horum modus et iudicium melius usu ueterum definitur. Sentiamus igitur hoc quoque loco cum eruditis: scribamus tamen tantisper uocabulum, quemadmodum sese nobis in libris, quos adierimus, obtulerit, ne illis plane nihil tribuere uideamur, qui e Codd. primum libros ediderunt.

II.

Atque hoc quidem uerbo primus, quem nominare possumus, usus est Homerus, poetarum, quotquot extant, uetustissimus, Iliad. Σ. u. 569. ubi Achilli clypeum, ex persona Vulcani, fabricatur, in quo cum fingit alia, tum uirginum iuuenumque, qui manu quasilla fructuum dulcedine referata sustineant, choros, quorum in medio sistit puerum, fidibus canentem.

Τοῖσιν

Τοῖσιν δ' ἐν μέσσοισι παῖς Φόρμυγχι λιγυῖη
μαρβέν κιθάριζε· λίνον δ' ὑπὸ καλὸν αἶεδα.

Λεπταλέη Φωνῆ.

Minus, fateor, conuenit inter ueteres explana-
tores huius loci, quid sibi uelit τὸ λίνον, quando
pars exponunt chordam lineam, pars genus car-
minis, idque eius, quem deploret, nomine in-
signitum. Vtramque interpretandi rationem af-
ferunt minora scholia, quae uulgo, sed falso, Di-
dymo tribuuntur. ἦτοι λίνον, ὃ δὲ ἐξ ἤπτο ἀν-
τι νευρᾶς τῆς κιθάρας· ἐπεὶ οἱ πρῶτοι τοῖς θεοῖς
μετὰ ᾠδῆς ὑποκιθαρίζοντες, οὐκ ἐξ ἐντέρων κα-
τεσκεύαζον τὰς κιθάρας· οὐχ ὅσιον, οὐδὲ θεοῖς
ἀρεσὸν εἶναι ὑπολαμβάνοντες, διὰ τὸ ἐκ νεύρων
πεποιῆσθαι. ἀλλὰ ἐκ λίνου πεποιημένα (al. ne-
que incite, πεποιημένου) ἢ, λίνον (perperam,
nec conuenienter Homericæ dimensionī, προπε-
ρισπωμένως Oxon. λίνον) δ' ὑπὸ καλὸν αἶεδα,
ἀντὶ τοῦ, τὴν ἐπὶ λίνῳ τῷ Απόλλωνος παιδί ᾠδὴν
ᾄοντι νηπιῶ, καὶ ὑπὸ κινῶν πομενικῶν διασπα-
θέντι, πρῶτην ἀσθεῖσαν. λίνος tamen erat εἶδος
ᾠδῆς, genus carminis, ex Aristarchi sententia, uel
ἕμου, sicuti παιᾶν, καὶ ὁ διθύραμβος, ut Eusta-
thius obseruat. Sic autem capio: Paeon erat hy-
mnus in laudem Apollinis, idemque Apollo ipse:
Dithyrambus, hymnus in Bacchum, pariter atque
ipse

ipſe Bacchus, apud Athenaeum lib. Iſpari tradu-
ctae appellationis modo Linus fuerit et hominis,
et hymni, ab eo dicti, nomen. Dubitatur iam
apud Eufſtathium, hoc genus carminis utrum a
chorda linea, ad cuius ſonum cantetur, an a Li-
no quodam heroe nominetur, in magnis enarra-
tionibus ad Iliad. Σ. pag. 1223. quaſi uero non per-
inde ad filorum e lino ſonum, quibus ante uſum
chordarum uſi memorantur ueteres, aliae quo-
que cantilenae cani potuerint, quae tamen, ſuis
quaeque nominibus, diſtinguerentur. Alteram
ſane explanationem, qua genus carminis, idem-
que in Linum, designatur, ſecutus eſt amplexusque
Pauſanias, peracti ſcriptor iudicio, nec minus in
Homeri lectione uerſatus, quam omnium antiqui-
tatum Homericarum ſolers et ſagax, ſiquis alius,
inueſtigat. Vocat *κίθαριδὸν παῖδα ἄδοντα*
ἐς Λίνον, in lib. IX. cap. XXIX. Nec ſecius ipſe
Herodotus, quo ſuperior aetate ſcriptor in ora-
tione Graecorum, numeris ſoluta, ad noſtram
aetatem non peruenit, meminit *Λίνον ἀείματα*,
quod Graeci, canere ſoleant, lib. II. cap. LXXIX.
ubi quamuis a Codicibus quibusdam ſcriptis abſit
τὸ Λίνος, carmen tamen, hoc nomine a Graecis
appellatum, intelligi, ſententia loquitur uerbo-
rumque contextus. *Λίνον* a luctu, quem excita-
uerat obitus Lini, dictum eſſe de *cantu lugubri*,
docent

docent ueteres ad Homerum Critici, necdum in uulgus editi, e quorum fontibus titulos ipse duxit Eustathius, quosque Vir Illustris, Ez. Spanhemius, e scriniis Vossianis, identidem ad Callimachum collaudat. Magis interesse uidetur Homericæ prudentiæ, ut arbitremur, Poetam noluisse tantam *ταυτολογίας*, quam eiusdem sermonis iterationem uocant Latini, culpam admittere, ut, expressa iam dulcedine totius lyrae siue citharae, denuo lini seu e lino chordae sonum, laudet, cum apte et mori Graecorum conuenienter musices utriusque, quae uocis neruorumque cantu administratur, mentio fiat, si quidem *λεπταλέη φωνή* de tenui et depressa uoce, ex auctoritate priscorum, quos infra laudabimus, interpretum, accipitur. Suidas, neque id tacebo, in extremo expositionis suae, addit, *λίον* etiam chordam lyrae significare: praeferre tamen uidetur notionem carminis, quando hanc praemittit, et auctoritate Homeri firmat, ac demum adiungit *χόλιον*: non quod chordae erant lineae, sed quia *λίος* erat genus hymni, sicuti Paean.

III.

Cuius quidem hymni nomen ab ipso Lino repetunt ueteres, sed iunioribus dubitandi causam praebent, praesertim iis, qui eius nominis originem altius petunt, neque ex Graecia, sed e trans-

mari-

marinis Asiae oris arcessunt. namque illius ortum
ex Phoenicia ducit uir in primis magnus, Io. Ger-
ardus Vossius, et triumuiros istos, Orphea, Mu-
faeum, Linum, ne fuisse quidem, sed esse nomina
contendit, ex antiquo Phoenicum sermone, quo
Cadmus, et aliquamdiu posteri sint usi, conficta.
Λινον tamen carmen, idemque lugubre, ex uete-
rum monumentis agnoscit, idque in eam senten-
tiam, non quod eo Linum deplorarint, sicuti com-
menti uideantur grammatici, sed ab Ebraeo לין,
quod murmurandi notionem habet, in libro de ar-
tis Poeticae natura et constitutione cap. XIII. n. III.
Io. Clericus, uir uariae doctrinae monumentis cla-
rus, uiam, Vossianis impressam uestigiis, init, at-
que e Graecia traicit in Asiam, ut in iis terrar-
um oris ultimos Lini natales inuestiget; et tanto
melius illo quoque defungatur instituto, quod ad
Hesiodum ex antiquitate et reliquiis literarum
Phoeniciarum illustrandum spectat. Cui quidem il-
lud memoratu dignum uidetur, patrio Phoenicum
uerbo *phenunciari eiulatum; gemitum*, ab iisque
iniis appellationem Lini refert illam quidem, sed
quam illi demum credat accessisse a luetu, quo do-
ctorem profecuti sint discipuli, sicuti uersibus de-
claret Hesiodus, ad Hesiodi fragmentum ex Eu-
stathio pag. 328. Ante hunc Olam Borrichium
difficultate quadam impediuit auctoritas opinio-
nis

nis Vossianae, sed quod haec unius argumento notationis se tuetur, illius potius inclinatur animus, ut arbitretur, aevi ueteris quendam fuisse Linum, Dissert. Academicarum I. num. XIX.

IV.

Vnde ortum sit Lini nomen, magnopere uel exquirere, uel contendere, nec uacat, nec lubet, quando haec talia uocum incunabula, si repetantur altius, multum nonnunquam ingenii, plus saepius habent ineptiarum. Non explicatae sunt studii huius rationes, praesertim in linguis peregrinis, quando hi tales conatus interdum uiris doctissimis ac sapientissimis, Platoni, Varroni, atque aliis, in ipsa inuestigatione patriae linguae non magnum certe honorem attulerunt. Adeo dubia sunt haec talia, atque ipsa nominandi ratione incerta. Vixisse Linus, fateor, illa fertur aetate, qua literae Phoeniciae ad Graecos peruenerant, quas uel Cadmus e Phoenicia detulerat in Graeciam, si ueterum pluribus, uel ipse Linus, si Suidae credamus. quod tamen de Lino non temere assentimur. uidetur saltem quod ad literas attinet, aliud quid fecisse Linus, de quo dicemus infra. quamobrem linguae Phoeniciae rudis non uidetur, nec forte, per temporis quidem rationes, a probabili quadam coniectura tam remotus, quin credi possit, sicut unum cum hominibus alia e Phoenice in Graeciam, ita

B

hoc

hoc quoque nomen transiisse. b Fuerit igitur no-
men Phoenicium, acceptum ab Ebraeis: inde tamen
non consequitur, hominem esse non potuisse, cui
id imponeretur. Aptius, ni fallor, colligas, cum no-
men Phoenicium, tribuatur homini, quem magna
gentium consensione agnouerit antiquitas, eidem-
que illius aetatis, qua Phoenicum et commercia,
et literae in Graecia uiguerunt: non alienum esse
eiusdem nominis hominem cum ueteribus agnosci,
tantisper dum maior quaedam et grauior emer-
gat ratio, quae uetustatis sententiam falsi con-
uincat. parum, ac potius nihil oboesse uidetur il-
lud: uocem hanc significare lamentationem, et
quod addit alius, cantum lenem, qualem canti-
lenam Herodotus atque Hesychius exponant $\Lambda\iota$ -
 $\nu\upsilon\upsilon$. quo pacto nondum euincitur, quod puta-
rat Vossius, huic nomini nihil, praeter notionem
carminis, relinqui. Atqui ab ipso Lini nomine
carminis appellationem ducunt ueteres: ut, quam-
diu ipse fuerit Linus, tamdiu carminis origo non
alibi, quam in ipso Lini nomine, quaerenda uidea-
tur. Herodoto $\Lambda\iota\upsilon\varsigma$ non modo nomen canti-
lenae est, sed pariter nomen uiri, quem Aegyptii
Manerota dicant. atque idem ille est $\mu\alpha\nu\epsilon\gamma\omega\varsigma$,
quem Hesychius etiam memorauit. nec uero in-
folitum uel peregrinum, et admiratione dignum
uideri debet, eiusdem nominis et hominem, et
car-

carmen esse. I. Polluci lib. IV. cap. VII. βάγιμος
est Maryandendorum rusticorum carmen, et λι-
τούργιας, Phrygum. utrumque uero nomen erat
etiam hominum: quorum alter Maryandeni fra-
ter nominatur, alter inuentor agriculturæ a Phry-
gibus habebatur. Has autem cantilenas θρή-
νους quoque fuisse, ibidem addit. Omitto Try-
phonis Erigonem, Ialemon, Tragicis Graecis tam
crebro nominatum, Calycam Stefychori, ac po-
tius huc affero, funebrium carminum rationes at-
que inscriptiones prisca temporibus una cum ar-
gumentis eductas fuisse ex historiis et fabulis, ut
docet Scaliger Poet. lib. I. cap. L. itaque nil dum
ab aliis prolatum uidetur, quod Vossianæ sen-
tentiae faciat fidem.

V.

Sed cum neget tamen doctissimus Vossius
ullum fuisse Linum: uellem equidem uir prae-
stantissimus aliud sententiae suae praesidium
attulisset, quam gammaticam, et fallacem ma-
xime, rationem, quae quidem sola similitudine
retextae originis et literarum continetur. Res
monere uidetur, ut, quod de Orpheo, magni uir
ingenii, Thomas Burnetius, idem de Lino re-
spondeamus: ueterum quemlibet ad fabulae ludi-
brium redigi posse, si quidem ea comminiscendi
licentia suffecerit, ut qualiscunque nominis de-
ductio

ductio ex quadam Orientis lingua exsculpatur, atque adeo τὸ κύριον ὄνομα εἰς προσηγορικόν, quod aiunt grammatici, commutetur, ex Archaeolog. Philosoph. cap. IX. pag. 133. Nihil quidem impedit, quo minus Cadmum, quem meminit Vossius, pari iure nomen inane putemus et confictum e uoce קד, quae antiquum significat, cum uoci cum uoce melius, quam *Arif* cum Orpheo, conuenire uideatur. Qua confingendi libidine si procreentur homines, tollantur de numero hominum: ecquis non intelligit, illud demum uerissime umbraticum et grammaticum fore commentum? secus ac, si Linum hominibus annumeremus, quem non e dubiis et fraudulentis huius generis originibus grammatici, sed multo ante uertustissimi poetae, historici, philosophi, scriptores omnis memoriae grauissimi laudarunt, atque in principibus sapientiae commemorarunt.

VI.

Eius quidem rei iudicium non inique uidemur expectare a ueteribus, iuxta ac sapientissimis, disciplinae salutaris doctoribus, qui errores deprauatae religionis pari doctrinae et grauitatis laude coarguerunt. Quorum permagni, ut res loquitur, intererat, ex hominum censu numeroque deleri Linum, si qua, uel leuissima, falsi suspicione fieri potuisset. Erat enim Linus in primis

mis, ad quem uulgo prouocarent isti, quippe tanta religionis opinione commendatum, ut cum Musæo atque Orpheo constituendae *θεολογίας ἑθνικῆς* triumuir haberetur. Nec uero meminimus, quod alioqui permirum uideatur, quemquam Christianorum ueterum crimina profanorum scriptorum diluisse, sic ut fama percelebratum, et iactatum toties, Lini nomen in dubitationem reuocarit. Tanta Origenis erat sagacitas, illud inuestigandi studium, ea inueniendi solertia, illa refellendi erroris cura, illa scrutandi perquirendique omnia, quod cum aduersario doctissimo congredebatur, necessitas, ea denique reconditae omnis doctrinae uarietas et praestantia, ut, si quisquam, hic certe unus omnium maxime fraudem rei et subodorari potuisset, et indagatam cognitamque omnibus publice detegi uoluisset. Apud eum Celsus instruit ordinem priscorum sapientumque uirorum, qui et uiui de hominibus aetatis suae, et mortui scriptis de posteris bene sint meriti: Moysen autem eiicit atque excludit prorsus ex hoc numero, omniumque, quos nominauit, primas dat Lino. De Lino tamen res confecta erat, si quidem negare posset Origenes, unquam, quem terra tulerit, quem sol aspexerit, fuisse Linum. Ecquid autem respondet? Negat, Lini uel leges extare, uel scripta,
B 3 qui-

quibus emendatio atque institutio hominum con-
tineatur: ipsum uero fuisse, non negat. Linum,
crimini dat, aequae ac sapientes reliquos, solis
doctis scripsisse, neque amplius horum poetarum
libros superesse, quos, putat, maiori studio cu-
stoditos seruatosque fuisse, siqua profuissent. at
uixisse, sapientumque apud Graecos ordinem
duxisse Linum, non negat. Quanti tandem in-
tererat Origenis ad comprimendam Celsi pro-
cacitatem, ut contenderet, Linum illum perso-
natum ipsum fuisse Moysen, si tanti sunt, quae
Vossius, et uberius P. D. Huetius, quocum alio,
eoque opportunitiori loco, agendum erit, expo-
suerunt?

VII

De ultima, et natiua, Lini appellatione nihil,
quod intelligam, diffidet a Vossio clarissimus, quem
modo nominaui, Clericus: illud differt tamen,
quod inter homines Lino magis locum dare, quam
adimere uideatur. At enim, quod de causa nomi-
nis imponendi ex Ascræo uate comprobandum
suscipit, eius quidem contraria plane, nisi me o-
mnia fallunt, ratio cognoscitur ex eodem poeta,
qui Lini nomen, inde ab Vranies partu, non so-
lum mortuo, sed etiam uiuo fuisse, uersibus te-
stetur. Quod si Lino nomen post obitum ab lu-
ctu, quo eum profecuti sunt discipuli, extitit de-
mum

num: ecquod tandem uiuo fuit? Nihil tale uer-
fibus, ad quos probocatur, ostendit Hesiodus,
uerum Vraniem peperisse Linum, eundemque et
uiuum et mortuum idem nomen, ait, obtinuisse.
Ceterum parum nos mouent ii, qui, cum alia uia
non successerit, ad conciliationem literarum con-
similium, atque ad originum suspiciones coniectu-
rasque, e uariis et dissimilimis, nescio quibus, lingua-
rum generibus compilatas, et corrogatas confu-
giunt, quod, ut mea quidem fert opinio, non te-
mere praefatus est in Poesin Orphicam V. C. Andr.
Christianus Eschenbachius. Eo tamen spectat in
primis institutum Gerardi Croesii, qui nobis Ho-
merum Ebraeum dare coepit, siue historiam E-
braeorum ab Homero Ebraeis nominibus et sen-
tentiis in Odyssaea atque Iliade conscriptam. sed
uereor magnopere, ut iis, qui parum fiduciae in
dubia et contorta originum inuestigatione collo-
cant, persuadeat opinionem suam. Linum qui-
dem cum ab Ebraeo ducit, et Herodotum atque
Hesychium in partes uocat, nondum tollit Linum,
sed illud tantummodo negat, posse homines ui-
deri, quorum nomina ad aliquam Ebraeae uocis
affinitatem, uel cognationis similitudinem acce-
dant, atque in ea, in qua adhibeantur, lingua ali-
am praeterea habeant notionem. quod ratiocinandi
genus quantum ualeat, exempla loquuntur. nos
qui-

quidem nihil abnuimus, ea notione hominem non fuisse Linum, quae ex Herodoto atque Hesychio ab illo recitatur. at prior potiorque est altera, quam tradunt idem Herodotus atque alii, et cui nondum tanta uel dubitationis, uel argumenti uis occurrit, ut, relicta consensione antiquitatis, Linus unquam fuisse negetur. Natalis Comes lib. IV. c. X. Linum repetit ex ueteri Argiuorum lingua, qua νόθον significet, sed nec testimonium laudat, neque id nobis aliunde succurrit.

VIII.

Manet Λίνος, ex auctoritate ueterum, et hominis, et carminis nomen. Qua carminis uim habet, memoratur λίνος ab Iul. Polluce, lib. IV. cap. VII. Iungermannus tamen in MS. legit λινοι sine ullo apice, numero plurium, ut alia, quae praecedunt. κυρίως et propria notione est ὁ ἐπὶ τοιοῦτῳ Λίνῳ αἰαγμός, quod confirmat Herodotus, ex eoque Eustathius ad laudatum Homeri locum. Alioquin ancipitis est sententiae, sic ut in utramque partem cantum et lugubrem, et hilarem notet. Apud Athenaeum λίνος δὲ καὶ αἰλινός ἐντε πάνθεσι, καὶ ἐπὶ εὐτυχεῖ μολπῇ κατ' Εὐριπίδην. Inquinatae Codd. quidam μολπῶ pro μολπᾷ. Locus Euripidis est in Hercule Fur. u. 348. αἰλινὸν μὲν ἐπετυχεῖ μολπᾷ Φοῖβος ἰαχέει. Hic una uoce ἐπετυχεῖ, quod apud Athenaeum

um

um duabus ἐπ' εὐτυχῆ. sententia tamen utrinque sibi constat. Sed ἐπευτυχῆ μολπᾶ uulgo redditur peruerse *infelici cantu*, quod uertendum est *felici cantu*, secundum ea, quae dixi. animaduertit enarrator Euripidis, λίνον quosdam posuisse ἐπὶ τοῦ ὕμνου καὶ τοῦ θρήνου, Tragicum uero, hoc quidem loco, in calamitoso et luctuoso rei argumento ἐπὶ συμφοραῖς καὶ θρήνοις adhibuisse, ad Orestae u. 1397. ubi mendose commentaria Graeca ἀλινον pro αἰλινον. Crebrius tamen, et notione magis celebri, Λίνος fumitur in argumento luctus. Epicharmus Λίνον siue αἰλινον dixit ἀδὸν ἰσουργούντων siue *telas texentium*, apud Athenaeum lib. XIV. ubi deprauate quidam libri habent ἔλινος. Id tamen Eustathius ad τὸ λίνον refert, non ad τὸν λίνον. Huius quidem loci est propria notio τοῦ λίνου, qua θρηνητικῶς fumitur pro carmine, ad luctum composito, et figillatim pro illo, quo Linus aeuo ueteri comploratus fertur. unde tamen non excludendam esse notionem τοῦ ὕμνου, docent ea, quae de hymnis uarii generis tradit Menander rhetor. Hinc Gl. ὕμνοι ἐπὶ τῶν νεκρῶν. Neniae.

IX.

A λίνος est αἰλινος, οἰτόλινος, minus recte οἰτολίνος, sicut uulgares exscribunt libri, quod merito castigat Frid. Sylburgius. al. οἰόλινος. οἰτόλινον

C

λινον

λινον appellauit Linum Pamphus, antiquus hymnorum scriptor, eumque imitata Sappho, apud Pausaniam lib. IX. cap. XXIX. Quasi dicas *Hebilemlinum*. pari modo nominaueris *αιλινον*. hinc scite Nasonem emendat I. Rutgerfius, ut infra dicemus. Sic *Aelinum* dixit infelicem patrem I. C. Scaliger, ut ipse ait, lib. I. cap. L. Poet. similiter apud Theophilum lib. II. ad Autolycum *ιλιον* probe emendat *αιλινον* Cl. Fabricius. At *αιλινον* non tam *παρὰ τὸ λίνον*, quod dicitur apud Athenaeum, quam ab *αἰ λίνος*, siue *αἰ λίνον*. Haec enim uox saepe repetebatur, ut aiunt, in lessō Lini. Similiter atque *αἰ αἰ καὶ τὸν Ἀδωνιν*, *αἰ αἰ τὰν κυθέρειαν*, est in Adonidis *ἐπιταφία*. Sic *ἡκοπος* ab *ἡ* et *κόπος*. Notam eiulationis *αἰ* non a Graecis, sed a barbaris, refert Phryx barbarus Euripidis. *αἰ αἰ ἀσιάδι Φωνᾶ*, Oreste u. 1398. *αἰλινος* Hefychio est *ὑμνος*, *θρῆνος*. ut idem sit, ac *Δίνος*. Varinus quidem exponit *αἰλινον κυρίως τὸν ἐπὶ τοιοῦτῳ Δίνῳ ἀγαγμόν*. *εἶδος θρῆνου* uocat Sophoclis interpres, ad u. 635. Aiace. ipse Tragicus *αἰλινον*, *αἰλινον*. Neniā dixerint Latini cum Cicerone lib. II. de Legibus. *planctus*, Porphyrio ad Horatium. alii, *lessum*. quod nihil aliud est Io. Meurfio, quam Graecorum *Δίνος*, cum *Lessus* fuerit Tarentinis, qui postea *Lessus* dicebatur, quod antiquitus consonantes literas non geminabant,

bant, in libro singulari de funere c. XIII. aliter
 tamen uisum est Vossio Etymologo. secus etiam
 A. Turnebo, et Io. Kirchmanno lib. II. de fun.
 Rom. c. VI. Adeo ut λίνος principio singulare,
 postea generale nomen esset, aequè fere ac lessus.
 carmen *miserabile* dixerit Maro in G. et Peto Al-
 binouanus de morte Drusi. *lacrymosum*, Ouidius.
 Ponitur tamen αἴλιον non modo pro θρήνω, sed
 etiam ἐν τοῖς ἐΦύμνιοις, idque in honorem Lini,
 si audimus Etymologum Magnum. hoc illud est,
 quod παντός πάθους παρενθήκην uocat Conon
 Δηγ. 19. atque hoc quidem θρηνητικὸν ἐΦύμνιον
 familiare in primis est Tragoediae Graecae. tan-
 quam Aeschilo. αἴλιον, αἴλιον εἶπε, u. 23. Aga-
 memn. ubi αἴλιον θρήνον καὶ ἐν τάξει ὕμνου expo-
 nit Scholiastes. Thomae Stanleo *versus* est *quasi*
intercalaris. de Sophocle atque Euripide dixi.
 Eadem uoce et notione sunt usi Moschus in ἐπι-
 ταφίῳ Bionis, Eid. III. u. 1. et u. 14. atque alii plu-
 res. adeo ut uoci αἴλινα uis accesserit τοῦ ἐπιρρή-
 ματος ποιητικοῦ, quod, ex lege ἀναλογίας τε-
 χνικῆς, efferendum foret, si quidem per usum li-
 ceret, αἴλινος, hoc est θρηνητικῶς καὶ μετὰ θρή-
 νου. in quam sententiam adhibet αἴλινα Callima-
 chus Hymni, quem scripsit in Apollinem, u. 20.
 quomodo, contra Vulcanium, probe monet An-
 na Fabri.

Cum λίνω paria facit, sicut ostendimus, αἴλιμος, et quod addimus, λινωδία, etiam Ἰάλεμος, si sequimur explanatorem Euripidis ad u. Orestae 1393. quo quidem auctore, hoc uerbum, ex nonnullorum sententia, idem est ac Λίνος, nec minus de cantu lugubri enunciat. *ιαλέμων. τῶν θρήνων. ἀπὸ ἰαλέμου τοῦ Καλλιόπης καὶ Απόλλωνος. τινὲς δὲ τοῦτον τὸν αὐτὸν τῶ λίνω φασίν, ὃν καὶ ἐπὶ θρήνων λέγουσι. θρήνος est ipsimet Tragico, ut notat interpres. pariter atque Aeschylō ἱκετ. u. 120. ueteres ad Apollonium Critici in lib. IV. u. 1304. ἰήλεμον. ἀντὶ τοῦ θρήνον. ἔρηται ἀπὸ ἰαλέμου, τοῦ μούσης παιδός, hoc est, Calliopes filii, si Euripidis scholiasten audimus, qua natus fertur et Linus. Athenaeus tamen ἰάλεμον ita distinguit a λίνω καὶ αἰλίνω, ut prius uerbum ad argumentum luctus, posteriora uero ad tristitiam, pariter ac laetitiam, referat lib. XIV. Tibiarum carmina, quibus funera mortuis fieri consueuerint, ἰάλεμον, λίνον, αἰλίνον, ὀλοφυσμὸν fuisse, docet ex instituto Io. Meursius libro de Funere cap. XVIII. ubi tamen de propria notione non loquitur, sed intelligit illam, quae a prima traducta, et digressa longius, demum communis esse coepit. Qui Λίνος Graecis, Aegyptiis est Μανέρωσ, idemque nomen de homine, pariter ac de carmi-*

carminē, pronunciat, ut alio loco dicatur. Hic quidem notamus de apice, uoci huic imponendo, non satis conuenire. apud Herodotum scribitur *μανέρωσ*. corrigit ad oram H. Stephanus *μανερώσ*. idem repetit ultima, quae in Anglia prodiit, editio. non secus legit in Cod. Pollucis MS Iungermannus. Kuhnius autem *μανερώσ*. Frid. Sylburgius Pausaniae *ἡμανέρων* ex Herodoto et Suida emendat *μανέρων*. Suidas. *μανέρωσ, καὶ περιμανώσ*. quod retinet exemplum, nuper recusum.

XI.

Λίνος deplorabat Linum, siue τοῦ Λίνου τὰ παθήματα, ut locutus est Pausanias. Ille quidem, ex Vranie natus Amphimaro, tanta in musicis laude fuisse fertur, ut et aequales, et superiores omnes, eius artis gloria praestiterit, et interfectus sit ab Apolline, quod cum eo canendi et rei musicae peritia semetipsum exaequarit. cuius etiam funus, aiunt, tantum, tamque grauem, attulisse moerorem, ut sensus eius ad remotissimas quasque barbararum gentium oras pertinuerit, lateque dimanarit. eius quidem memoria solemniter carmine et in Graecia, et in Aegypto celebrata, et dignus hic est uisus poetis, quem hymnis colerent, et *ὀιτόλινον*, lamentabili Pamphi ac Sapphus uoce, nominarent, ut in nomine memoria publicae complorationis extaret. Sepultum Thebis esse,

esse, Thebani perhibent, et narrant amplius, Philippum Amyntae filium, somnii cuiusdam monitu, sublata Lini ossa in Macedoniam detulisse, inde uero mox, alio permotum somnio, Thebas referenda curasse. Quamuis autem eius sepulcri nullum uel monimentum, uel uestigium superesset: fuit tamen statua, Lino posita, cui quoque anno prius, quam Musis res diuina fieret, iusta persoluerentur. tradimus, quod relatum legimus apud Pausaniam in Boeoticis c. XXIIIX. ubi deficit interpretatio Romuli Amasaei. uerba: *μεγίστην δὲ τῶν τε ἐφ' ἑαυτοῦ, καὶ ὅσοι πρότερον ἐγένοντο* etc. integre, et expleta sententia, reddas. *Maximam uero et sui, et omnis superioris aevi, gloriam e musicis suscepisse. ἐπὶ, ἡγεμονίᾳ, designat aequales.* tum pro *ἐπ' αὐτὸ πένθος*, rescribendum uidetur *ἐπ' αὐτῶ*, uidelicet *Δίνῳ, π.* Sic enim paullo post. *ἐπὶ τῷ Δίνῳ τοῦ π.* Philochorus, ex eiusque aduersariis Eustathius, Linum, ab Apolline interemtum esse, fatentur illi quidem, sed propter aliam, ac Pausanias interseruit, causam, cum Linus, dissoluto abiectoque lino, noua arte primus usum chordae ad musicen attulerit, ad Iliad. Σ. u. 569. pag. 1163. Ed. Rom. Apud eundem alii summam rei ita complectuntur: Linum agrestem fuisse iuuenem, carminis cuiusdam inuentorem, Vraniae filium, quem sustulerit Apollo,

lo, quod, dissoluto lino, ὄργανον, id est, lyram
chordis intendit. Longius abeunt minorum ad Ho-
merum Scholiorum scriptores, et Homeri Ἄνον in-
terpretantur in honorem alterius cuiusdam, quem
procreauerit Apollo, Lini, qui canum pastoriti-
orum morfu discerptus sit, et primus hoc cantus
genere exceptus. quem intellexisse uidetur Mar-
tialis, desletum ab Apolline lib. IX. Epigram.
LXXXVII. Rem, qualiscunque est, uberius expo-
nit Conon, cuius fragmenta Photio debemus. Psa-
mathen, Crotopi filiam, auctor est, ex Apolli-
ne grauidam, peperisse, et quod a patre sibi me-
tueret, infantem puerum exposuisse, ac Linum
nominasse. repertum pastor educat pro suo, idem-
que, nescio quo casu, a canibus regii pecoris custo-
dibus dilaceratur. illa uero, quod dolorem ferre
non poterat, progenitori se prodit, ab eoque ca-
pitis damnatur, quod eam ab alio uitiatam, eius
rei culpam falso in Apollinem conferre, arbitra-
batur. Apollo, propter illius, quam deperierat,
caedem incensus ira, pestilenti morbo Argiuos
affligit, et consultus de mali remedio, Psamathes
et Lini manes placandos esse, respondit. Qui-
bus illi cum alios honores habent, tum mulie-
rum uirginumque choros Lini mortem rite com-
ploratum mittunt. quae ubi lamentationes cum
obtestationibus coniungunt, cum illorum, tum
suas

suas ipsarum calamitates deplorant. tam decoro
autem questus et plangoris genere Lini fatum la-
mentantur, ut earum exemplo poetae, qui aeta-
te consecuti sunt, Linum, in grauiori omnis ge-
neris affectu decantatum, interponant. ipsum qui-
dem mensē uocant Arneum, quod Linus inter
agnos altus erat, eidemque et sacrificium, et fe-
stum diem instituunt Arnida, quo mactant, quic-
quid canum reperire possunt. Haecenus Co-
non Narrat XIX. de Lino, quem ab auo *Cro-
topiaden* dixit Naso in Ibin u. 480. De mortis
genere, quo Linus perierit, idem memoriae pro-
didit Pausanias, in Att. cap. XLIII. mentionem
quoque de sepulcro eius facit Corinth. cap.
XIX. uerum de *θηῖνα* neutriubi quicquam ad-
iungit, et legendi studiosos ad inferiorem, eum-
que magis idoneum, dicendi locum delegat, ibi
demum poema eiusdem nominis Amphimari,
ut diximus, quam Apollinis filio tribui mauult.
Atque ab hoc quidem Lino distinguit alterum,
eundemque iuniorem, Ismenii filium, *Ἡρακλέ-
ους διδάσκαλον*, ut uocat Tatianus Orat. ad
Graecos, quod per incuriam redditur *Herculis
discipulus* in ed. Oxon. p. 138. eundemque pari mo-
do distinxit cum ueteribus Eustathius, atque ex-
imio herois nomine a reliquis disiunxit. Quam
cautionem non adhibet Iulius C. Scaliger cum magi-

magistro Hercules uindicat honorem τοῦ αἰλίου,
eumque a discipulis reliquis hoc carmine com-
ploratum fuisse, ait Poet. lib. I. c. I. Casum Lini
doloris argumento memorabilem fuisse habitum,
declarat illorum ratio, qui ab eo tragoediae ma-
teriam sumserunt, Achaei Eretriensis exemplo,
quem Δῖον scripsisse, testis est Athenaeus l. XV.

XI.

Plures autem fuisse Linos, accepimus: quorum
tres antiquissimos, sicut ostendimus, commemorat
Pausanias, unum Amphimari et Vranies, alterum,
gente Thebanum, Ismenii filium, tertium Psamathe
et Apolline parentibus ortum. pares numero, sed
ortu et nominibus dispares, e monumentis historiae
ueteris recitat Eustathius, unum Calliopes filium,
alterum Apollinis et Chalciopes, tertium Narcis-
sum. Nec pauciores consignant Graeci, necdum e
scriniis eruditorum emissi, uerborum commenta-
rii, qui uulgo, nescio quam uere, Photio, quemad-
modum autem ex peritis huius artis audiui, pepe-
ram attribuuntur: digni tamen, qui tandem ali-
quando e Cod. Gudiano integre editi, legantur.
primum Calliopes, alterum Alciopes et Apollinis,
tertium Psamathes, Crotii filiae, et Apollinis, filios
appellant. quo tamen loco ἀλκιόπη est, quae χαλ-
κιοπή dicitur Eustathio, et, qui hunc describit,
Phaurorino. ibi uero Psamathes filius ordine et loco
distinguitur: ut intelligi possit, eundem apud Pau-
faniam

D

faniam a ceteris differre. His quartum addit Linum
Natalis Comes, qui prior elegis lamentationes
fletusque complexus dicitur, et Philarcho histori-
co memoratus, Mytholog. l. IV. c. X. Linum quidem
θρήνου πεποιημένον, tradit Plutarchus de Musica,
sed eum nominat Euboeum, Amphionis aequa-
lem. Omitto Linum Oechalioten, historicum,
quem Stephanus atque Eustathius meminerunt. de
Linis pluribus exponit Nic. Loens. Miscell. X. 3. Sed
tanta de Linis, neque id sine taedio legendi profi-
teor, est opinionum uarietas et dissensio, ut de il-
lorum neque ortu, nec parentibus inter scriptores
conueniat, eorumque nec uita, nec res gestae, ne-
que euenta, qua fieri par erat diligentia, uel or-
dine, uel perspicuitate, ubique discernantur. adi,
quae pro parte animaduertit Aegidius Menagius
ad Diogen. Laert. Prooem. p. 3. Auctore Suida, Li-
nus, patria Chalcidensis, idemque filius Amphima-
ri, primus e Phoenicia literas in Graeciam intulit,
easdem docuit Herculem, et lyricae poesios dux
fuit ac princeps. quod ita quidem tradit, ut ab hoc
Lino separet alterum, origine Thebanum, atque
aetate inferiorem: sed in eo fallitur aperte, cum be-
neficii, quo literae sunt ad Graecos e Phoenicia de-
latae, laudem Lino, non Cadmo, impertitur. Erro-
ris huius indicium facit, et plura tradit, e Dionysio
Mythologo, Diodorus Siculus libro tertio: Li-
num, e Graecis primum, numeros modosque,
et

et melicam poësin inuenisse, literasque, quas e
Phoenicia Cadmus in Graeciam pertulerit, in
Graecam contulisse linguam, et suam cuique ap-
pellationem figuramque accommodasse. poeticae
uero et cantus admiratione insignem, multos ha-
buisse discipulos illos quidem, sed tres horum
praestantissimos, Herculem, Thamyryn, atque
Orphea. in quibus Hercules, cum fidibus canere
disceret, et ingenii tarditate praepeditus, discipli-
nam non caperet, a Lino plagis castigatus, ira
exarsisse, magistrumque cithara percussum, occi-
disse fertur. turbas hic dedit L. Rhodomannus,
alioqui uir Graece doctissimus, et Cadmo tribuit,
quod tribuitur in contextu ipsi Lino. Nescio
tamen, quemadmodum accipiendum sit, quod
ibidem ipsi Lino refertur acceptum, cum appel-
latio literarum Graecarum nihil ab illa Phoeni-
ciarum differret, neque illarum figura, nisi pro-
gressu temporis sensum paullatimque, in aliam scri-
bendi formam conuerteretur. nisi forte illud, no-
uo mutandi genere, Linum fecisse putemus, ut,
inuersa literarum figura, ordo seriesque scribendi
ab sinistra dextrorsum, more gentium Europaea-
rum, deduceretur, contra quam Phoenices, atque
alii orientis populi facere soliti sunt, quemadmo-
dum nonnullis eruditorum uerosimile uidetur.
uerum tamen, ut uerum fatear, idem illud fecisse
Pronapidem, quem Homeri magistrum nominat

Diodorus Siculus, et antiquum scribendi morem, quem *σπυριδόν, βουπροφηδόν, καὶ κιονηδόν* uocabant, cum illo recentiori, postea in Europa recipi coepto, commutasse, testatur Theodosius Grammaticus, cuius ad Dionysium Thracem commentaria, nondum publici iuris facta, laudat, et docte, ut solet, illustrat Cl. Fabricius in Bibl. Gr. p. 159. quod autem de Hercule, Lini discipulo, narratur, idem fere scribit Suidas u. *ἐμβαλόντα*, et Aelianus lib. III. c. XXXII. Var. Hist. Pausanias tamen de Lino posteriore, Ismenii filio, exponit, ex eoque uir in ornamentum seculi excultus, Iac. Perizonius, qui, ad laudatum Aeliani locum, de Lino iuniore interpretatur scriptorem Bibliotheces. Adeo difficile fuit uel summis scriptoribus, cum in obscuris et fabulosis uersarentur temporibus, propria cuiusque merita dignoscere: ut nihil dubitandum sit, quin permixtis et confusis utriusque laudibus, horum Linorum tribuatur alterutri, quod alteri sit tribuendum. Quod ut credamus, adducunt nos incertae gentium propaginumque tabulae, quae commemoratione a maioribus tradita, nulla tabulariorum fide nitebantur, eoque ab aliis aliter concinnabantur, ut, cum ueteres inter se diffiderent, iuniores in eorum auctoritate acquiescere nollent. necdum instructae erant bibliothecae publicae, quales illae Alexandriae et Pergami postea fuerunt, e quarum pluteis inter se scripto-

ptores componi, et, quae traderentur a fide dignioribus, expendi possent. inde plures Ioues, Apollines, Mercurii, Mineruae, Hercules, Bacchi, Homeri, dii, heroes, atque homines, plures etiam Pythagorae, quorum res gestae permiscebantur, quemadmodum erudite, ut solet, exponit uir omnis antiquitatis peritissimus Henricus Doduellus, Exercit. altera de aetate Pythagorae. Nulla prorsus circumspectione usus est Ios. Barberius, et confusus Lini Chalcidensis Thebanique casibus, satis habuit, si primo Lini exemplo comprobaret miserias poetarum Graecorum. Taceo, Nonnum Lino acceptum referre inuentum *ἐπιπέπης*, lib. XLI. tum, quae de Lini theologia e Theophilo, Damascio, Chalcidio, de poesi item ex Eusebio, Iamblichio, Stobaeo, et pluribus, diligenter iam exposita sunt ab exquisitae doctrinae uiro, Io. Alberto Fabricio, in praeclaro apparatu Bibliothecae Graecae. Alioqui uersus, qui laudantur a Stobaeo, refert ad Linum iuniorem Eduardus Philippus, in libro, quem inscripsit Theatrum poetarum p. 108. Nobis quidem satis est ad instituti rationem, quod indagamus poema, non obscure ad honorem Lini, quem genuit Vranie, Chalcis tulit, et herois nomine laudauit antiquitas, reuocari, sicuti constat sigillatim ex Pausania atque Eustathio, et ulterius ex Hesiodi fragmento patebit. At enim cum ea, quae de Linis e scriptoribus, inter se collatis, comperimus, animo et cogitatione complectimur, illud quidem uidemur intelli-

telligere: Linorum nomen quondam maximis ingeni-
is floruisse illud quidem, eosque tam grauitate, quam
suauitate studiorum laudem inuenisse, atque ad aeu-
cultum natos pariter ac factos expolitosque fuisse,
numeratos in principibus aetatis suae, et praeclare
inuentis nobilissimos: sed inuidiae ingratorumque
hominum iniuriis laceffitosis identidem atque oppres-
sos, tristibus rerum euentis calamitosos, et tanquam fa-
to quodam ad luctum moeroremque uel suscipien-
dum et in uisceribus alendum, uel ciendum, destina-
tos: cum uel necati dilaniatique, miserandum in mo-
dum interierint, uel aliorum tragicos fatalesque casus
uersibus et fabulis complexi, lugubri lamentatione fle-
tuque moerenti theatri ipsis moestitiam intulerint,
hoc fere uno, si tanti tamen est, felices existimandi,
quod illorum calamitas fletum moueret ipsis barbaris,
et publica lamentabilique gentium uoce deploraretur.

XII.

Quis uero lessum fecerit, qui Lini nomine
quondam ferebatur, non liquet. Primae, si operae
pretium putamus audire Cononem, mulieres Ar-
giuae lacrymantibus oculis, et pressis flebilibusque
modis, ad tumulum Lini *θηῶνον* concinuerunt, eun-
demque tam *ἐκπρεπῆ*, siue, re ipsamet interprete, tam
ad hominis, temporisque ac loci rationem accommo-
datum, ut ex eo demum poetae Linum decantare di-
dicerint, et eius nomine uersibus inserto, uim magni-
tudinemque affectus augere. Ecquis autem huius rei
uerum

uerum expectet a *μυθογράφω*? nisi qui nesciat, eum in argumento, quod persequitur, historiae fabulosae famam magis, quam uerum, sequi uoluisse. Pausanias nominat *ἄσμα ἐλληνιον*, quod in Graecia natum credit, idemque poetis, et nominatim Homero, cognitum fuisse, ait: sed non adiicit, a quo compositum putet. Eustathius tamen ad eum Homeri locum, quem supra ex Iliade nominauimus, ex animaduersionibus Criticorum ueterum, retulit in commentarios, paruum quoddam in Lino poema fuisse, quod *σφαῖρα* quidem uocetur, Orpheo uero tribuatur. Totidem uerba ex illo descripta, nobis annumerat, ut solet, ingenuus assecla Phauorinus. quibus si credimus, duplex fuerit eiusdem carminis nomen. Nihil quidem dubitem, quin obitum Lini discipuli potius, quam alii carmine defleuerint, idemque iam dudum est uisum Scaligero patri. Orphea uero Diodorus ad horum numerum, qui Lino se in disciplinam dederint, ascribit lib. III. ut erroris conuincatur Nicomachus Gerassenus, quo auctore, Lino docet Orpheus, principio lib. II. Enchir. Harm. Haec tamen eiusmodi sunt, ut nihil in eam sententiam definire possimus, cum illorum, quos nominauimus, auctoritas nondum, quantum in hoc antiquitatis argumento satis est, nobis ad liquidum perducta uideatur, neque ipsimet meminisse non queamus, multa iam olim Orphei nomine uenditata fuisse, quae circumspetiores huius artis existimatores prorsus aliis adiudicarint. Alioqui tradit Pau-
sani-

faniās, Pamphum, qui antiquissimos apud Athenienses
hymnos fecit, *θρῆνον* in eundem Linum composuisse,
eumque Sappho, *Οιτολίνου* nomine, quod quidem sit
a Pampho mutuata, luxisse. Pamphus aequalis Lini fu-
isse fertur: eius tamen hymnum, quo Lini mortem
fleuit, ab illo, Homeri uersibus memorato, non obscu-
re Pausanias distinguit. Illud saltem intelligi potest, si
quidem Pausaniam, et ueteres apud Eustathium cri-
ticos, sequi uelimus, *θρῆνον* illum percelebrem longe
ante Homeri Hesiodique tempora et compositum, et
usu publico celebratum fuisse, et uel hoc indicio refel-
li, quibus Graeca poesis cum Homero inuenta pariter
ac perfecta uideatur. nihil enim ambigam, quin, sicut
ante Thaletem et Pythagoram, aut, quorum aetate ul-
timos Graecae sapientiae fines scriptorum uulgus ter-
minat, ante Homerum atque Hesiodum sapientes nec
pauci, neque ignobiles, extiterint: ita nec poetae, qui
sapientum personam sustinebant, iis aetate superiores
defuerint, et fortunae permultum debeat Homerus,
quae, deperditis aliorum monumentis, illius libros e tot
iniuriis temporum seruarit. Sic mihi quidem persua-
dent, quae disputat Cicero in Bruto, et Sextus Empi-
ricus l. I. c. XI. Enimuero *λίνου* uetustas antiquitatem
θρηνώδίας, ante Simonidem, ortu Ceum, confirmat,
aeque ac morem, inde ab heroicis traductum tempori-
bus, de rebus quibusque memoria dignis contexendi
cantilenas, quarum antiquissima est *Λίνος*, ut obseruat
Euerhard. Feith. Ant. Hom. l. IV. c. IV. ubi tamen
perperam scribitur *τὸ Λίνον*.

99 A 6955

ULB Halle

3


002 823 764




sb.

1078
V317 Retrav







4

D. B. I
AVSPICIO RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISS. PRINCIPIS REGI
FRIDERICI AVGVSTI
DISSERTATIONE PRIORE
AINON AICMA
PRAESIDE
IO. GVILELMO BERGERO
POES. PROF. PVBL
PRIDIE EIDVS FEBRVARIAS
A. R. - G
∞ 100 CVII
EXPONET
M. IO. ANDREAS CNOBLACH
VITEMBERGENSIS

VITEMBERGAE SAXONVM
PRELO GERDESIANO

